

XXXIV.

Hinc crapulae studium, unde cruditas, vini meracioribus, jejuno praesertim ventriculo & ante pastum hausti, vel in hoc eiusdem nive aut glacie refrigerati intemperantia; libido venerea, praesertim a repletionem, infinitam genuere podagerorum multitudinem: inde Veneris Bachiq; proles, egregia certe, Podagra jure merito Poetae credita est.

XXXV.

Cuius farinae habentur, somnus meridianus, vigiliae multae, labor immodicus, statio diuturna, vehemens & concitator deambulatio, solitae exercitationis desertio repentina, sudoris retentio, solemnum item evacuationum suppressio, ulceris humidi & chronici consolidatio, morbi acuti & diuturni, ira, cura, moeror, & quaecunque alia pravos ingenerare succos corpori valent, & mollibus atq; insuetis nervis inferre quassationem aut dolorem; de quibus sunt rei durae obviatio, casus, crepidae, calceamenta, ocreae adstrictiores; aut articulos etiam nimium laxare, quod pedum ex aqua calida dulci lotio frequens ante somnum praesertim efficere solet.

XXXVI.

Innotescit autem universim affecta sedes ex propria aegrotantis indicatione qui de dolore partis tensivae, motuque difficili conqueritur.

XXXVII.

~~Incipientis vero mali suae notae sunt: Nam in pedum articulis molestus quidam torpor percipitur, quem $\tau\epsilon\lambda\lambda\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$ Plutarchus ex Strabone, id est, Podagrae balbutiem ac ceu rudimentum quoddam mox sese majore & manifesto cruciatu exerturae Podagrae nominat: perinde ut in pueris balbuties vocis est obscura & imperfecta, sed deinceps cum aetate in articulationem explanandae absolvendaq; primum tyrocinium.~~

B

Torporis